

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3978

Auteur(s) : Philippe II Auguste, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Mériel, Notre-Dame du Val (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1190, 25 mars-1190, juillet]

Lieu d'émission : Compiègne

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [II], roi de France, confirme tous les biens acquis par l'abbé et des moines du Val-Notre-Dame et leur accorde l'exemption de péage, tonlieu et d'autres coutumes sur passage.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1053, p. 274-275.

b. Berger Élie, Delaborde Henri-François, *Recueil des actes de Philippe Auguste, roi de France*, t. 1, années du règne I à XV (1er novembre 1179-31 octobre 1194), Paris, Imprimerie nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France ; V), 1916, n° 297, p. 359-360

Dissertation critique

Datation proposée par BERGER/DELABORDE, *Recueil des actes de Philippe Auguste*, t. I, n° 297, p. 359.

Texte établi d'après a

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Noverint universi, presentes pariter et futuri, quoniam, pro remedio anime nostre et omnium predecessorum nostrorum, abbati et fratribus loci qui Vallis Sancte Marie dicitur, quicquid de feodo nostro in regno nostro adepti sunt, vel in futuro, largiente Domino, ex quorumlibet beneficio, poterunt adipisci, in perpetuum concedimus possidendum. Hec sunt autem que ante presentem concessionem nostram jam adepti erant, et que in perpetuum illis concedimus : sedem videlicet abbatie sue, que Vallis Sancte Marie vocatur, cum maresiis subtus abbatiam usque ad aquam, et nemore de Lovenniaco, et ceteris appendiciis suis ; granchiam de Monte arsitio cum pertinentiis suis ; granchiam de Gonseisvilla cum terris de Gonessa, datis a domino Burchardo de Montemorenciaco et ceteris appendiciis suis ; granchiam de Belveer, cum terra de Genceval et nemore, et terra de Sendeucoort, et Nemore Ade cum nemoribus et ceteris appendiciis suis ; granchiam de Coldreto cum nemore et ceteris appendiciis suis ; granchiam de Repostavena, cum nemore et ceteris appendiciis suis ; granchiam de Trole cum pertinentiis suis ; granchiam de Campinolis cum nemore de Proveinviler et quicquid de feodo Serifontis in nemore et terris possident ; cellarium de Montemorenciaco. cum vineis et terris et pratis et ceteris appendiciis suis ; cellarium de Taberniaco, cum vineis et terris et ceteris appendiciis suis ; cellarium de Cormeliis, cum vineis et ceteris appendiciis suis ; cellarium de Praeriis, cum pertinentiis suis ; cellarium de Noisiaco, cum appendiciis suis. Hec et alia omnia, que predictis

fratribus in futurum in dominio seu feodo regali, salvo servicio nostro, Deo auctore, conferentur, illis in perpetuum concedimus et confirmamus. Addimus etiam fratribus prefati loci per totam terram nostram liberum transitum, regia benignitate concedentes, ita ut nulli omnino servientum sive prepositorum nostrorum de propriis rebus eorum pedagium vel teloneum vel aliquam consuetudinem sive exactionem accipiant. Que omnia ut perpetuam sortiantur stabilitatem, presentem paginam sigilli nostri auctoritate ac regii nominis karactere inferius annotato, salvo jure alieno, precepimus confirmari. Actum Compendii anno Incarnati Verbi millesimo centesimo nonagesimo, regni nostri anno undecimo ; astantibus in palatio nostro quorum nomina supposita sunt et signa : signum comitis Theobaldi dapiferi nostri ; signum Guidonis buticularii ; signum Mathei camerarii ; signum Radulphi constabularii. Data vacante cancellaria.